



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **PORTUS GENTILIS**\* IN GABONE NOVA  
CONDITUR DIOECESIS PORTUS GENTILIS Cum petium esset nuper ut metropolitana Sedes Liberopolitana in  
Gabone ita divideretur ut nova constitueretur dioecesis ad aptius provehendam aeternam salutem Christifidelium ibidem  
degentium eorumque regimini efficacius consulendum, Congregatio pro Gentium Evangelizatione omnibus mature  
perpensis habitoque pariter faventi voto Venerabilis Fratris Marii Roberti Cassari, Archiepiscopi titulo Truentini atque in  
memorata Natione Apostolici Nuntii, admotam postulationem censuit esse accipiendam. Nos igitur, Qui gravissimo  
fungimur munere supremi Pastoris universae catholicae Ecclesiae, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica  
potestate haec decernimus. Ab archidioecesi Liberopolitana separamus territorium Provinciae civilis, quae patrio  
sermone nuncupatur «Ogoué-Maritime»; ex eoque novam dioecesim *Portus Gentilis* condimus, quam metropolitanae  
Ecclesiae Liberopolitanae suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione  
subicimus. Praeterea iubemus episcopalem sedem poni in civitate « Port-Gentil » atque templum ibidem exstans. Deo in  
honorem Sancti Ludovici dicatum, ad dignitatem cathedralis Ecclesiae evehimus; cetera vero secundum canonicas leges  
temperentur. Quae praescripsimus perducet ad exitum praedictus Venerabilis Frater Marius Robertus Cassari, qui, re  
acta, curabit documenta exaranda sincerisque exemplis Congregationi pro Gentium Evangelizatione mittenda. Hanc  
denique Constitutionem Nostram iugiter ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae,*  
*apud Sanctum Petrum, die septimo mensis Martii, anno Domini bis millesimo tertio, Pontificatus Nostri vicesimo quinto.*

ANGELUS card. SODANO

CRESCENTIUS card. SEPE

*Secretarius Status*

*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Leonardus Erriquenz, *Protonot.*

---

*Apost.*

\*A.A.S., vol. XCV (2003), n. 9, p. 564 © Copyright 2003 - Libreria Editrice Vaticana